

102
ORATIO FVNEBRIS
IN EXEQVIIS TRI-
CESIMIS
DOMINI
ALBERTI
MENZELII
MEDICINÆ DOCTO-
RIS ET PROFESSORIS OR-
DINARII IN ACADEMIA
INGOLSTADIANA, &c.

Habita à

WVOLFGANGO HOEVE-
RO DOCTORE ET PROFESSO-
RE MEDICO, INGOLSTADII, IN TEM-
PLO DIVÆ VIRGINIS,

Die XII. Iulij Anno Christi nati
M. DC. XXXII.

INGOLSTADII.
GREGORII HÆNLINI
TYPIS EDITA.



Admodum
REVERENDO, NOBILI,
CLARISSIMOQVE VIRO,
DOMINO
LEONI MENZELIO,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,
NEC NON
PROFESSORI ORDINARIO,
VNIVERSITATIS NOSTRÆ PROCANCELLA-
RIO ET NVNC RECTORI MAGNIFICO,
AD DIVI MAVRITII INGOLSTA-
DII PAROCHO,
AD DIVOS IACOBVM ET TI-
BVRTIVM STRAVBINGÆ CA-
NONICO,
PATRONO SVO,
MONVMENTVM HOC FVNEBRE
FRATERNÆ VITÆ ET MORTIS,
MOESTITIÆ PVBLCÆ ET PRIVATÆ
SOLAMEN QVALECVNQVE,

VENERATIONIS ET OBSER-
VANTIÆ ERGO

Dedicat consecratque
Scriptor.





ORATIO FV- NEBRIS.

Lntueor hodie non sine mærore faciem Academia nubilam, A A. video caput eius obuela-
tum; luctuosam orbitatem nostram contueor.
Prater insolitam discipulorum raritatem et-
iam in hoc ipso choro singularis alicuius Docto-
ris sedem vacuam deprehendo. Nescio quos
gemitus in hac ferali pompa sub lugubribus, quæ suspiria, quæ
cordolia, persentisco. Quamquam autem Paulo Iouio historicō
subturpe videtur, ora virorum lachrymis deformare: tamen
summos etiam viros propter acerbitatem doloris citra turpu-
dinem in fletum erupisse nō ignoramus. Nonimus, pernouimus,
etiam me tacente, qualis & quantus optimus maximus extite-
rit ille, qui conspectum mortuum Lazarum, amicum, tanta
commiseratione deplorauit, ut ingens vis lachrymarum ex in-
nolucro cordis per oculorum angulos nō indecorē emanārit. Fle-
uit etiam amarè, nec indecenter Petrus, ut animi maculam
riuis lachrymarum manantibus ablueret. At nec Homerus
dubitauit viros bonos pronunciare eos, qui grauiter indole-
scentes profuse lachrymantur, tanquam ad misericordiam
proclives; ita quidem, ut ploratus non semper vittio sit dan-
dus. In hac miseriaram valle quid aliud serimus & meti-
mus, quam Iobi lachrymas? unde quisnam alius panis exco-

O R A T I O

quatur, quam doloris? Principium, medium & finem vite
fleundo ducimus. Corda habemus non cornea, sed carnea, qua
non modo perturbationis, angoris & amoris & stu colligescunt,
ac diffluunt in amaros & salsos oculorum madores, sed etiam
in questus clamosos effunduntur. O Alberte Menzeli, Pro-
fessor non ita pridem clarissime, Medicorum per totam Boia-
riam nulli secunde, iam nunc ex Professore Medico cadauer,
vermium esca, massa tabo diffluens, putrida, mox ossea cor-
poris humani larua, deinde puluis, postremò nihil; quantum
nobis luctum parit tuus interitus, tam improuisus, tam prema-
turus! Cecidit, proh dolor, cecidit currus & auriga sanitatis,
quo tempore, quo loco minimè cadendum fuit, sed propter
luem mortiferam perseverantem vita discrimine passim labo-
rantibus tot corporibus maxima animi contentione porrò suc-
currendum. Occidit is, qui, si tot annos prouiere debuissest,
quot alijs ipse sua arte prorogauit, non vixisset quinquaginta
quinquè tantum, quasi vita humana spatiū vix dimidium,
sed in multa secula vita sua terminum extendissest. Ecce mor-
ritur iustus, extinguitur innocens, plenus officij, meritorum
plenus hinc abripitur preproperè, & nemo considerat omen-
eius. Quis talia cogitando temperet à lachrymis? Heccline est
Medicorum præclara messis, ex alienis miserijs proprias cala-
mitates demetere, ex aliorum morbis propriam sibi pestem,
ipsamque mortem contrahere? Itane bellator inter belligeran-
dum, Medicus inter medicandum occidit? Miserabilem &
funestum eiusmodi casum, ecquisnam adeò saxeus, ut oculis
siccis contempletur? Eccuinam tanta chalybis durities est cir-
ca pectus, quintales exangues atque exanimes, vita spoliatos,
hoc est, omnibus exutos bonis, que vel cœlestis gratia, vel na-
tura, vel fortuna contulit, intuendo, terribilium omnium ma-
xime terribile sub aspectum subyiciendo, obuium humanae mi-
serie

F V N E B R I S.

3

serie spectaculum in cordis penetralia demittendo, misericordia tanquam adamas hircino sanguine, molliatur? Magna sane pars eorum, qui hic adsunt, complures etiam, qui non adsunt, suam valetudinem & incolumentem, tibi, celeberrime Doctorum Menzeli, tibi, inquam, morborum victori, tibi sanitatis procuratori, se debere minimè diffitentur. Solus ego, perpetuus debitor tuus, in hac spectatissima corona filebo? Acceptum beneficium & multiplex & fructuosum quomodo possum citra animi ingratitudinem tacere? Primum ille bene de me promereri cœpit, annis abhinc octodecim, me Frisinga huc alliciendo, Medicina docendæ gratia, facto de me indicio, suffragante etiam Christophoro Gewoldo, Consiliario Ducum Boicorum secreto, quasi comodis publicis nusquam maiore cum fano-retalenti quantulicunque mei inservire possem, quam in Academia luce. Melius deinde perrexit, Collegam gratulabundè cooptatum amoris constantia prosequendo. Tandem optimè finit, ipse iamiam è vita limine exiturus, lethaliter agrotanti mihi, filioque meo simul eadem lue Epidemia decumbenti, post Medicum supremum, desperatam salutem dando; cuius benefici recentis & nouissimi memoriam eternam in nostris mentibus ambo consecramus. Mox eodem genere morbi infesti, contagiosi, sotnici, præter expectationem omnium correptus, in lectum prosternitur, & indies aggrauescente malo paucos intra dies exanimatus ad superoshinc euolat, me tanquam altero se, relicto superstite. Memini, cum aliquot ante mensibus quam hæc euenissent, in conuiuio quodam Academico, facta mentione sue valetudinis & mortalitatis olim exuenda, Horati monitu haud falsò crederet, omnem diem sibi diluxisse supremum, quasi vita summa breuis spem longam inchoare vetaret, me, palam audientibus conuiuis, ultrò prouocari serioque rogari hisce verbis: Tu Hæuere, meis funeris orator sis

A. 3

volo,

ORATIO

4

volo, quandocunque ex hac vita migraro. At ego contra:
abfit, inquam, procul abfit hac iniuria. Juniores senior ego
ordine turbato subsequar? Abs te potius hoc officium & glo-
riosum & gratiosum tanquam natu maior expectabo. Tale cer-
tamen amoris inter nos certauimus, in quo certamire victor il-
le, vicitus ego, vicitus, inquam, amore coniunctissimi College,
nec non amici intimi, cuius amicitia per annos triginta duos
periuncundè perquè comodè sum usus, contracta primum in I-
taliam, continuata dein in hac nostra Germania. Conciliator fuit
Philippus ipse Menzelius, bona memoria, qui me filio per lit-
teras, filium mihi Ingolstadio Patauium eunti coram beneuo-
lentissime commendauit. An idcirco morti propinquus Men-
zelius valetudinem perditam mihi restituit, ut in Medico po-
tissimum, tanquam in postremo suorum agrorum, opera artis
suae gloriösius consummaret? An ideo me superstitem & so-
spitem maluit, ut ipse desiderij sui de funere honestando com-
pos per me redderetur? Ita me videtis obligatum plurimis
nominibus ad exequendum parentandi munus ab eo, cuius ex-
pectationem si fallam, sim ingratissimus ac perfidissimus o-
mnium mortalium, non inofficiosus & inhumanus tantum; pra-
terquam quod etiam autoritate & iussu Magistratus superio-
ris mei, cuius nutum & arbitrium, imperium existimo, mihi
comissa hac est prouincia, sanè difficilis, vt pote quam obeun-
dam esse non nisi ex Academia dignitate, sum probè gna-
rus. Veruntamen in hoc onere facilius sustinendo, dum
verba facienda sunt de nostri defuncti laudibus fauore
dignis, citra luorem ullum, quippe cessantem post funera,
a equitatis lege postulante, ut non modo viuenti sed etiam
mortuo benemerito reddenda sit consentiens laus bonorum
recte iudicantium de virtutis præstantia, vestra au-
dientia benigna sapius cognita me non parum consolatur. Utus
autem

F V N E B R I S.

autem querimonij s, nanij s, eiulatibus, planctibus nihil omnino proficiatur, sed his omnibus frustra crucietur & affligatur & deflens viuus & defletus mortuus; quasi huic suare requies & status melior inuidetur: tamen dignissimum est funus, quod communibus lachrymis & pia recordatione prosequamur, si forte remedium aliquod inueniamus tristitiae, dum modicè luctui indulgemus, ut quidem Hieronymus ille Cardanus, Philosophus & Medicus non contemnendus, existimat. In facta certè non persoluere, vel etiam quidquam omittere, quod ad officium exequiale compleendum spectet, piaculum habendum: quandoquidem post Iudam Machabæum etiam Nicephorus Callistus, Ecclesiae primæ Historicus, commemorationē piè defunctorum in solenni cætu fidelium, non modò iam olim litteris consignauit, verum etiam, ut morem sacrosanctum, approbavit, posteritatique commendauit. Apud Platonem etiam inuenio ciues eos encomijs exornandos, qui discesserunt è vita, si corporis animiue viribus res arduas & præclaras gesserint, & legibus obsequenter paruerint. Jam, ut incipiam, vobis bene fauentibus, non à prima, sed à proxima generis origine, siquidem orta de suis principijs, principia de suis ortis testari consueverunt, Albertus noster patre natus est Philippo. quo Philippo? cuius beata memoria propter amplissima merita præsertim in Academiam nostram, per annos quadraginta, non modò nos præsentes recreat, verum etiam posteritatem seram recreabit. Amplius dico Philippum eum, qui tanquam cælo demissus Apollo propter excellentissimam medendi facultatem cum à florentissimis Rebus publicis, tum à summis Principibus, Regibus, Imperatoribus desideratissimè fuit expeditus liberalissimis stipendijs inuitatus. At filius herois degener, & ut Graecorum sonat prouerbium, noxius, Phathontis instar. Jam qui teste grauissimo, Thoma Mermanno, Serenissimorum

ORATIO

morum Boiariæ Ducum Archiatro. tum ore, tum pectore, etiam
operum paternorum imitatione, vobis optimè conscijs, secun-
dissime patrissauit. Sed quid de matre, Elisabetha Menzelia,
dicam? quasi verò hodie tenebris sepultum iaceret, quod con-
secreti Deo homines etiamnum viuentes recenti memoria te-
nent, ac non ita multò post in lucem prodent, de perspecta Ma-
tronæ huius sanctitate, religiosissimo patre Hoffæo contestata;
quum is iam morti propinquus esset, quo tempore homines non-
ludere sed diuinare, mentium beatarum visionibus exhilarari
consueuerunt. Splendidior est familia Menzeliana cum affi-
nitate clarissima, quam ut meis laudatiunculis; tanquam fa-
culis indigeat. Filium benè prognatum, honestè educandum
à primis statim annis sollicitudo paterna maluit pro sua pra-
udentia Collegio Societatis inclito tanquam connictorem & in-
quilinum melioris institutionis gratiâ committere, quam in
adibus proprijs souere. Ibi Patres diligentissimè inspectione, ex-
hortatione, directione habita, propositis speciosis præmij, pie-
tatem, innocentiam, humanitatem, continentiam, probi-
tatem unâcum ingenuis artibus, quibus ingenium liberale ex-
colitur, lingua perpolitur per integrum quinquennium instil-
lando, suum alumnum sibi talem conformarunt, qualem fu-
turum exoptarunt, nimirum, ut esset filius sapiens patris glo-
ria. Absolutis politioribus litteris, ac Philosophia disciplinis
feliciter consummatis, animum generosum ad difficillimum
quidem, saluberrimum tamen studium medicum applicuit,
quasi natus, sculptus, factus ad id unum unicè excolendum.
Præceptorem habuit publicum & domesticum, litteratissimum
Parentem, quo nullus alius contingere potuisset optatior, ut &
Edmundum Hollingum, sub quo præside de Apoplexia publicè
summa cum laude disputauit, edito tum specimine eruditissimi
genij, captato statim augurio, qualis & quantus Aesculapius
esset

esset euasurus. Factis iam luculentis progressibus, è schola patria mittitur in Italiam, regionum quasi reginam, ut in Academij exterrnis ac illustribus magis atque magis expoliretur, non modo scientia atque experientia rei medicae, sed etiam moribus atque lingua. Ibi præstantissimum quemque Medicum affectatus, Medicinae campos latissimos herbidissimosque emensus, intra triennium profecit tantum, ut Medici Doctoris titulum ac insignia Bononiae, Promotore Flaminio Rota, cum Vlysse Aldrouando, qui patrem Alberti Doctorem annis ante triginta creauerat, & Melchiore Zoppio, maximo cum applausu fuerit consecutus; in toto studiorum cursu tam fortunatus, ut ad eruditionis perfectionem comparandam ipsi nihil unquam defuerit. Reuersus ex Italia non sine triumpho litterato, iam laureatus, confessim deligitur anno huius seculi tertio propensissima voluntate Serenissimi Principis, consentientibus Patrum Academicorum suffragijs, acceptissimus Medicinae Professor &, quod tam præclarum quam rarum, fit collega sui parentis ac Preceptoris viriusque. Ad hanc functionem honoratam accedit coniugium, ut nullum bonum solum, cum pudicissima virgine, Monacense Patritia, Anna Schobingera, quæ viri sui domum locupletauit non solum dote honesta, ac hereditate luculenta, sed etiam mediocri grege dulcissimorum liberorum. Matrimonium hoc uxoris obitu fatali dissolutum excipit aliud secundum, vere secundum, cum virgine, nobiliore dicam an moratiore? Amelia Schüzinga. Coniugem hanc castam, quasi costam suam propter amabilitatem morum, propter studium obsequij, propter affectum vere maternum erga priuignos magnis in delitijs habuit, ut debuit, maritus. Reliquum vitæ curriculum, quata scilicet attentione & prouisione domui sua præfuerit, qua fide & industria tot administravit officia, quales & quantos honores quam dignè gesserit, fa-

ORATIO

et us ex infimo discipulo Medicinæ Doctor supremus, Prima-
rius Facultatis suæ Professor, Consiliarius tot & tantorum
Principum, Senator Academicus, Assessor Camera prouidus,
Decanus spectabilis, Rector Vniuersitatis Magnificus, totius
Academæ lumen clarissimum & columen singulare; totumq[ue]
aperti & notius esse reor, quā ut à me hoc loco proclamari sit ne-
cessē. Cogitandum est mihi non quā multa, sed quā vera
dicam. Addo tamen hoc unicum & ultimum, quod minime
prætermittendum videtur, quodque non ad intuendum mo-
dō, sed ad imitandum quoque proponetur, verborum tamen
parsimoniâ tanta quanta possum, ne detineamur ultra tempus.
Singuli, quotquot Albertum nostrum MenZelium norunt, sin-
gulas, easque singulares animi dotes in ipsius persona suspexe-
runt. Nonnulli, præserim litterati, præclarum eruditio[n]is
decus, ingenium excitatum, peracre iudicium coniunctum
cum felice memoria verborum & rerum, quæ duo postrema
ramen in uno homine rarius conueniunt: non pauci serenita-
tem mentis, quam ipsa fronte serena tanquam indice conscienc[ia]
impolluta præ se ferebat: Alij morum gratiam, qua
tanquam philtro quamplurimos & summos, & medios, & in-
fimos sibi conciliabat: alijs sermonis vernaculi, Latini, Italici
venustatem & comitatem, sales & lepores, quibus in quoti-
dianis congressibus familiares suos admodum oblectabat, non
sanos tantum, etiam ægros, quorum animos infirmos à morosi-
tate, diffidentia ac impatientia festiu[s] iocis & suauibus blan-
dimentis ad lenitatem, tolerantiam, abstinentiam & confiden-
tiā obedientiamque traducebat, exemplo gratioſissimi quon-
dam Medici, Thomæ Mermannī, in cuius mortui laudem Vir
illustris, Ioannes Georgius Hörwartus, Senior, Cancellarius
ille Provincialis, ita scripsit: Alij Medici corpus ægrum re-
dintegrande & reficere satis habent. Hic mentem quoque re-
creare

creare nouit. *Animaduerti tamen ego duas virtutes præci-
puas, ob quarum eminentiam ipsum semper feci longè maxi-
mi, nempe pietatem erga Deum, & beneficentiam aduersus
proximum. Scilicet bonitate genj dictante, vel potius inspi-
rante Diuino Namine, persuascerat sibi, pietatem utilem ad o-
mnia; quasi hæc tutissima virtus, animi, corporis, fortunarum
omnium defensatrix. Certè homo pius iugi bonorum affluen-
tia perfruitur; id quod euidentissimam ratione demonstrauit re-
ligiosissimus Psalmorum illustrator, Robertus Bellarminus:
Nam si res bene cedunt, gaudet prosperis successibus: sin contra, non contristatur, sed fruitur bono patientia, spe magni pra-
mij in altera vita, pro malis toleratis sidream patientia lau-
reolam obtenturus; praterquam quod etiam res aduersa ho-
minem ita purgant à vitijs & criminibus, ut à fôrdibus aurum
septies excoctum repurgat ignis. Ad quoduis bonum & ca-
ducum & perenne nihil magis nos prouehit, à malefactis cun-
ctis nihil magis nos abstrahit, quam reverentia sacrosancta
Maiestatis. In hac virtutum regina clarissime representasse
mihi videtur Medicus noster excellentissimus illustrem Dy-
nastam Marcum Fuggerum, Rudolphi II. Consiliarium, de
quo prater alia decora magnifice prædicatur etiam illud, effi-
giei typis impressa suppositum: Nemo sacrorum reverentior.
Atque huius rei testes oculatos vos omnes aduoco, ne quis a-
more caco me errare suspicetur, quotquot vestrum in adibus
sacris ipsius vultum, gestum, statum corporis externum per
transennam aspexit. Adeò deuotus erat cultui rerum diui-
narum, ut nullum non diem fernidis ad Deum & cælites pre-
cationibus & meditationibus religiosis diluculo quidem in
templis inchoaret, domi continuaret ac terminaret, quasi im-
primis regnum cœlesti queritanti cætera adiçienda sint o-
mnia. In tanta negotiorum turba quotidianiis distractus que-*

ORATIO

rimonijs tot ægrotorum, mirum quantum otij sibi colloquendi cum Deo sumpserit, recitandi preces horarias ritu decretoque pontificum Romanorum, ut in hoc officij genere nemini religiosorum quidquam concederet. Imò non solum venerando, sed imitando quoque Deum beneficū, etiam hominem Dei imaginem humaniter & adamabat & adiutabat. Animi medullis intimis inhærebat illud Plinianum, ni fallor: Deus est mortali, mortalem iuuare, & hæc ad æternam gloriam via. Neminem rogitantem absque consilio salutari dimittere, alienæ valetudini curam tantam impendere, quantam vix propriæ solemus, ægroti salutem reparatam mercede & remuneratione quavis antiquiorem & potiorem ducere, indigentissimum quenque manu prompta subleuare, quasi stipe erogata thesauros cœlestes lucremur, ut quidem Deus cupit suam numerā communicari inter homines, ob id, ut mutuis officijs & gliscat inter ipsos charitas, & crescant merita, quæ remuneretur ipse, plura donans quam animo quis optet, vel ore poscat: quid? etiam gaudere, quoties gratificandi contingit occasio, quam si hilarum præbitorem diligat munificentissimus Deus; si hæc non est largitas copiosa, si hæc non est effusa benignitas, nescio quid sit. Subdubito tamen, utrum pietate plus, an eruditione suos agros iuuuerit, ut quidem sapè experimur in curatione morborum efficaciores preces medentis, quam oblatas herbulas, saluiam & rutam, betonicam, & paoniam. Id quod fatetur etiam apud Maronem in Aeneide Medicus Iapis nomine, qui

Scire potestates herbarum usumque medendi

Maluit.

Attamen, ubi vulneratum Aeneam curat, agnito Deorum auxilio præter dictamni, ceterorumque medicaminum vires, exclamat ipse:

Non hæc humanis opibus, non arte magistra

Proueniunt: neque te, Aenea, mea dextera seruat,

Maior

Maior agit Deus, atque opera ad maiora remittit.

*Illiud assuerare non verebor, quin, si pia doctrina doctaque
pietate Medicum prstantem astimemus, nemo ferè veniat
Alberto Menzelio comparandus. Munus docendi grauissi-
mum, ut & hoc in transcurso verbis paucissimis attingamus,
in suggestu Medicinae corpus à primis ordiendo fundamentis
ad extreum usque fastigium absoluendo, vera salutaris scien-
tiae dogmata iuxta Hippocratis & Galeni mentem purissimè &
nitidissimè explicādo, tot annos, viginti scilicet octo, tam impri-
grè, tam accurate peregit, ut exquisita sedulitatis exemplum
ac incitamentum nauitatis emulanda mihi prabuerit: unde
non mirum, si discipulorum gloriantum de tanto Præceptore
frequentia haud rara floruit, suæque doctrina fructum uber-
imum in varias nationes diffudit. In medendo non præceps,
non temerarius, non ebriosus, non somniculosus fuit, sed per-
mirè consideratus, atque circumspectus. Ad id haud medio-
criter profuit, ut ego quidem coniicio, selectissimis litterarum
monumentis instructissima bibliotheca domestica, quæ perscrutanti
in rebus ambiguis consilia haud incerta promptissimè
suggerit. Si quisquam alias, hic nimirum obseruauit strictè
aureola duo præcepta Hippocratis: Μηδὲ εἰκῇ, hoc est, nihil te-
merè, scilicet assentiendum & affirmandum & usurpandum:
μηδὲ ὑπερορῶν, neque quidquam negligendum. Rectè. Sic,
sic Medicina tractari postulat: nam inter conditiones legiti-
mæ curationis præcipua habetur, ut sit tutacuratio: sicut Ad-
vocato maxime cauendum & prouidendum, studiosissimè elab-
orandum, non tam ut profit causis, quam ut ne quid ob sit. In
nullare, quam in bellica atque medica, plus affert exitū teme-
ritas, quæ à sapientia disidet plurimum. Negligentia vero
quam aliena sit à Medico, vel inde patet: nam ipsius officium
est curare; hoc autem non est negligere, sed ab incuria longis-*

ORATIO

simè remotum. Negligens est indiligens, vel etiam ad pauca
 respiciens. Indiligens non curat, sed animo seculo vagatur.
 Ad paucarespicientes, hoc est, non omnia attendenda atten-
 dentes, non singula perpendenda perpendentes, Philosophi
 veteres in errores pudendos inciderunt, Aristotele passim in li-
 bris philosophia naturalis & notante & increpante. Ad pa-
 carespicientes Medici peccant mortaliter, errores deplorandos
 errant, agrotos in exitium precipitant, Galeno varijs in locis
 præsertim in operibus de Methodo therapeutica, de facultati-
 bus medicamentorum simplicium argente. Talis incogitans,
 socors, iners artifex medendi non erat Albertus noster, sed
 qualem optimum describit optimus ille senex Cous; videlicet,
 non qui nunquam, sed qui rariissimè peccet. Aphorismos eius-
 dem Hippocratis, hoc est, oraculorum medicorum compendium,
 quam præsente memoria, quam præstanti intelligentia com-
 prehendit, quanta solertia curandis agrotis applicuit? Abriduis
 & indefessis huiusmodi laboribus & curis quotidianis, partim
 in hac munitissimacitate, partim in locis finitimiis, etiam apud
 illustrissimos Principes, cum maxima nominis celebritate, dum
 probè exerceatur, dum periclitantibus alijs subuenit, incidit
 infelix in febrim exitiosam grassantem vulgariter, quam ta-
 men ipsem in multis successu felice curauerat. Conficitur
 haec lue miserè spatio per paucorum dierum, nono die Iunij su-
 perioris mensis, Ambrosia, Athanasia, Panacea, ceteraque me-
 dicina nihil proficiente, exemplo Medicorum præstantium,
 qui cum istius febris perniciose victores in corporibus quam-
 plurimis extitissent, tandem ipsimet eadem lue circumuenti
 nescio quo fato, quo iure, vel iniuria succubuerunt. An ideo,
 quoniam inuida Mors vindicta gaudet, eamque seuerius ab
 huius morbi tanquam strenui præcursoris & adiutoris sui do-
 mitore, victore, triumphatore exigit ac reposcit, tanquam ipsi
 nulla

nulla gratior victimā? Nactus itaque consentientem vitā exi-
tum, recto virtutum tramite, charitatis scilicet ardēscētis,
fidei testimonijs diuinis & miraculis humanis confirmatæ, spei
inconcuſſa, ex hac Academia terrestri in cœlestē transmi-
grauit, ubi fulgebit inter alios Doctores tanquam firmamenti
splendor, iuxta vatis illius oraculum vero verius. Si iam ex
preteritis de futuris sit nobis indicandum, planè confidimus,
etiam si coram Deo iudice vix iustus etiam poterit consistere,
tamen apud diuinum tribunal sincerae pietati benefactis que
præmium dignum haud defuturum, præsertim ubi delicta
que fragilitate humana committuntur, sacris hostijs & preci-
bus identidem repetitis fuerint expiata: deinde etiam, ut a-
gnoscamus non proprijs meritis, sed dinīna misericordia &
gratia debere nos omnia, creationem, redemptionem, operum
bonorum functionem, & beatitudinem denique sempiternam.
Videor, n̄ fallor, A.A. recordationi vestræ quomodo cunque
subiecisse Menzelij nostri perdilecti vitam, quasi normam ad
posteros transmittendam, huicque respondentem mortem, ve-
luti formam imitatione exprimendam, vobismet ipsis notio-
rem & probatiorem longè, quām vt meum requiratur præco-
nium; cum hac obsecratione & obtestatione tamen, vt linguae
meæ hæstanti titubantique veniam benignam pro vestra hu-
manitate & aequitate detis, cogitantes orationem meam non
modò iam atatis granditate canescere, verum etiam à morbi
superioris proximi vehementia adhuc langueſcere, vacillare &
quasi fluctuare. Quanquam autem in hac immensitate lau-
dum mihi non deest, sed potius superest ingens amplificatio-
num exornationumq; copia: tamen patientia vestra abuti ma-
iore in modum erubesco. Quid nunc agendum restat? an
anti viri iactura nunquam reparabili perpetuò dolendum? do-
lori succumbendum? an potius gaudendum perceptis doctrina-

O R A T I O

rum communicatarum & medicationum præstitarum, fructibus? Insuper proposita spe bona confidendum, non omnino defore, qui decedenti succedere haud indignè possit, ut inter plantas & fruges fructus fructum propagat, vitem palmes, arborem surculus, ut ex phœnix renascitur phœnix; ita quidem, ut occidentium & orientium rerum vicissitudine conseruetur ac perpetuetur hoc vniuersum. Temperemus igitur nobis, etiam Syracide & Platone iubentibus, ab immodicis angoriibus & plangoribus, ne videamur Diuino Numini inuidere, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit. Moderate feramus in hoc funere mortem, quam immortalitas & perennitas animi, tanquam potioris humanae partis, propter cœlestem originem, consequatur. Nam licet noster Menzelius inter mortales esse desierit, corporis & animi compage dissoluta: tamen rerum præclarè gestarum, virtutis & doctrina fama perenni viuit; spirat etiamnum pater in prole mascula superstite. Temperatio hæc præsentis luctus erit, opinor, conuenientissima mæroris nostri medela, nepentes Homericos salubrius ad discutienda tristitia nubila, præsentissimum agritudinis lenimentum, squalorisque purgamentum. Agitè, renouemus hoc seculo nostro morem antiquorum, & post lamenta mæsta ritusque lugubres, pro virtute sepulti viuace & immortali condecoranda, tumulo coronas imponamus, flosculos inspergamus, fragrantium rosarum aceruo sépulchrum obtegamus, addamus plenis manibus lilia hodie florentia, tanquam insignia Menzeliana, quorum sparsione nobis in memoriā redigimus aui huius breuitatem, & qua spectatissime floreant, celerrimè marcescere, decidere, vanescere. Gratulemur, etiam atque etiam gratulemur Academiæ nostra de filio demortui relicto, tanquam imagine viua nobis reseruata, nuperrimè resuscitata diuinitus à populari luce, tanquam

vnico

vnico surculo propaganda stirpis Menzeliana, cuius iam adolescentis indolem egregiam cum eximia spe non absque singulari consolatione videmus. Tu Marquardus eris, tui parentis optimi vice, si modò vestigij eius insistere perrexeris, & etate studij sive Deo iuuante, processeris, me non solum cygni instar augurante, sed etiam peramanter vouente,

Tu Marquardus eris alter currus & auriga
publicæ salubritatis ac sa-
nitatis. Dixi.



C **AD**

AD C. V.

WOLFGANGVM
HOEVERVM PROFES-
SOREM MEDICVM IN ACA-
DEMIA INGOLSTADIENSI, IN OBITVM
ALBERTI MENZELII PROFESSORIS
MEDICI IN EADEM ACA-
DEMIA.

Ergone Menzelius nostris subtractus ocellis,
Mittitur ad stygias non redditurus aquas?
Infelix nostra spes et tutela salutis,
Nulla cui reddigratia digna potest:
Tene etiam mors atra nigro submersit Auerno?
Atque immaturis subdidit ossa rogis?
Nec tantum patrare fera timuere sorores
Crimen, et immites conscelerare manus?
Crudeles nimium Diua, crudelia fata,
Perdere quæ tantum sustinuere virum.
Si placeant cades, sunt qui sine crimen tolli,
Et poterant nullo collachrymantem mori.
Quid

Quid rapitis fera fata bonos? quid acerba pa-
ratis

Funera? quid planctus vos, lachrymaque
iuuant?

Hunc seruare virum decuit. vel sapè renasci,
Vels altem nunquam debuit ille mori.

Omnib⁹ hoc nocuit, quidquid peccatis in uno,
Quilibet ex illo vulnere vulnus habet.

Aspice quā madidos Academiatergat ocellos,
Ut sileant tantis pulpita victa malis.

Aspice pullatum Phœbum, pullataq; Phœbi
Castra, nouem tristes & sine voce Deas.

Nec minus vrbis confusa gemit, quæ funere ab
Funeribus plenas conspicit esse domos. (illo
Siue venenatis corruperit aer a telis
Cynthius, & nostro gaudeat exitio:

Siue quid occulti est quod nos nescimus, & ipsa
Corpora nescio quæ semina mortis alant:

Est aliquid certè quo nos irata flagellant
Numina, nec tantū Marte furente premūt.

I nunc & medica confidas scilicet arti,
Ecce artis medica luxq; decusq; iacet.

Quique alios toties auido substraxit ab Orco,
Parcarum rapidas non fugit ille manus.

bis

Occidit ante diem nostri Podalirius aui,
Occidit, & reliquum nil nisi nomen habet.
Nomē habet reliquiū; sed quod nec sera vorabūt
Tempora, nec liuor dente prementeret.
Vota quid in multos stulti disponimus annos?
Nec facimus curis propositisq; modum?
Antefores mors atra sedet, curisq; futuris
Non exspectatas iniicit illa manus.
Tempora vix canis asperserat ille capillis,
Subditaq; est rapidis fax inimica rogis.
Attamē est aliquid, quōd mens sibi conscientia recti
Innocuo petiūt tertia regna pede.
Diu vixit, bene qui vixit non quarit in annos
Æacus, & Stygiū turbas euera fori.
Virtutem coluisse sat est, hac mitigatora
Iudicis, atque umbris mollia iura facit.
Hunc pietas, hūc sancta fides cōmendat, & atas
Candida, nec vitijs pressa iuuentas suis.
Moribus his cœlum meruit, virtutibus illis
Laudauit meritum posthumafama rogum.

NICOLAVS BVRGVNDIVS,
I. V. D. Consiliarius & Historicus
Cæsareæ Maiestatis, Comes Palati-
nus nec non Profess. C. Ordina-
tius in Academiâ Ingolstadiensi.



ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ
ΑΛΒΕΡΤΟΥ ΜΕΝΖΕ-
ΛΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΝΥΙΑΤΡΟ-
ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΥ.

Πλεῖστα τρόπαιανόσων σήσας ὀπλοις ὑγιέινς,
Νεκρόμ^Θλαυτρὸς Μενζέλι^Θ πέλετο.
Οι πλείστης κρενερᾶσι μαρανομένες ὑπὸ νύσσοις
Φύτας ἀπέξεψεν περσεφόνας θαλάμων.
Αυτὸς μάρτυς ἐγώ, μάρτυς τε σὺ εστί Εβῆρε,
Γιώμ^Θροι ἄμφω ἐγ γύτατοι θανάτῳ.
Ηλθεν Μενζέλι^Θ, καὶ ἀμύνετο υπλεῦς ἥμαρ,
Ημᾶς ἐπὶ νόσῳ εἰς ασφαλεῖς ἵχν^Θ ἀγῶν.
Τοίνυν πλάσμα δυῶν πέλομδυ δηζώντες, Εβῆρε,
Πρῶτον μὲν γε θεῷ, Μενζέλις δὲ ἔτερον.
Εξοχον δὲν ἀλλων κλείων, Ακαδημικὴ Νέσος,
Αεχίατρον, δέκικνυς τόν σε, ὃς δὲ φίλ^Θ.

JOANNES HVEBER SS. THEO-
logiæ Licentiatus, ad D. Virg. antiqui-
tus speciosam nuncupatam, Ingol-
stadij Parochus.

AD MANES D. AL-
BERTI MENZELII,
MORBORVM DE-
PVLSORIS.

JNuida mors, quid agis? crudeliter occidat insontes?
Qui vitam multis seruat, & ipse cadat?
Ecce cadit iustus, meritus qui Nestoris annos,
Et vitâ dignus qui meliore fuit.
Cur non exoptem vitam, cui debeo vitam,
Nobilis Alberti quam mihi cura dedit.
Accipe cum voto pro vitæ munere grates,
Molliter ossa cubent, manibus esto benè.
Esto animus distet, tua sed tamen inclyta virtus
Esse tui nunquam nos finit immemores.
Optime seruator, morbi fortissime vîctor,
Perpetuum salue, perpetuumque vale.

WOLFGANGVS HOEVERVS
Philosophie Candidatus, Medicina
na Studioſus.

JOANNES HABERER SV TIEO
ges Licentiatu D. V. ab habendis
tus pfectis munibis
ijab P. 1000



